



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

276. An suspensus poßit eligere validè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 275. An excommunicatus talis occultus adhuc, quia potest tergiversatione adhuc aliquam excommunicationem suam celare, esse Electores confici de illius excommunicatione certi sint, quod illam possint in iudicio probare, (& vel hinc necesse non esset, eum vocare ad electionem, ut tenet Innoc. in c. in literis de restit. spoliatorum) possit vi ejici ab electione, & sic electus nequeat agere pro electione cassanda?

Respondeo negativè cum Pass. hoc fusè tractante n. 72. & 73. talis enim, cum sit in possessione eligendi, à qua non potest privatà auctoritate expelli, etiam si manifestus, antequam sit per sententiam declaratus. Nec dicas primò; possessionem illam esse injustam; nam dato hoc, etiam prado spoliū injustè possidet, non tamen hac possessione dejici debet auctoritate privatà quin & in iudicio prado restitui debet: ita etiam excommunicatus talis, licet postea constet de ejus excommunicatione in iudicio, privabitur electione in futurum, declarabitur tamen spoliatus injustè tempore electionis, idè què electio in odium spoliantium erit cassanda. Nec dicas secundò: non excommunicatos posse taliter excommunicatum vitando privare excommunicatione, imò ad hoc jure antiquo ante cit. Extrav. fuisse obligatos: aliud namque est; nolle communicare cum tali, quod licitum est, aliud vià facti privare illum jure, quod possidet: in summa itaque securius est etiam notorium (ubi notandum difficile esse, ut alicujus excommunicatio non denunciata sit plenè notoria, ita ut non possit tergiversatione aliqua celari. Pass.) toleratum tamen excommunicatum nolentem exire de capitulo, non expellere vi, sed agere contra eum protestationibus, vel procurare, ut per Superiorem declaretur privatus voce.

Questio 276. Vtrum suspensus possit eligere validè?

Respondeo primò: suspensus toleratus (suppono enim hic æquè ac in excommunicatione locum habere distinctionem illam inter toleratum & non toleratum; cum cit. Extrav. ad evitanda, loquatur universaliter de omni censura Ecclesiastica. Pass. c. 10. n. 96) hoc est non denunciatus nominatim per sententiam iudicis (etsi peccet ingerendo se electioni Pass. loc. cit.) validè tamen eligit juxta dicta de excommunicato tolerato, nisi ante electionem fiat exceptio contra illum (in quo catu servandum, quod dictum de excommunicato tolerato, Pass. ibidem) quia talis suspensus non est privatus exercitio jurisdictionis, gestaque per talem sunt valida. Suar. loc. cit. n. 2. Bonac. loc. cit. d. 3. q. 8. p. 4. n. 7. Peyr. in subd. q. 2. c. 5. §. 1. n. 33. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 19. n. 123. Pirh. n. 30. Pass. loc. cit. contra Sigism. à Bon. dub. 64. n. 9. & alios, quos citat.

2. Respondeo secundò: Suspensus (intellige non toleratus) simpliciter, hoc est, ab officio & beneficio, vel etiam suspensus tantum ab officio (intellige, absolute, & non tantum ab uno officio particulari, seu uno actu officii, néque enim suspensus ab uno actu eo ipso suspensus est ab alio; cum suspensio, utpote pena non sit extendenda, adeoque suspensus à collatione sacramentorum, eo ipso non est suspensus ab electione; ut contra Host. tenet Innoc. in c. cum dilectus. de consuet. n. 4. Navar. c. 27. num. 160.

Pass. loc. cit. n. 90. & alii) eligit invalidè. c. cum inter. h. r. cit. c. cum dilectus. & ibi. gl. v. à suspensis. Abb. n. 48. Innoc. n. 4. Tamb. de jure Abb. ro. 1. d. 5. q. 8. n. 13. Barb. ad c. cum inter. n. 4. item cit. c. 19. n. 78. Laym. l. 4. r. 2. c. 12. Peyr. in Pral. q. 2. c. 5. n. 32. & c.

3. Respondeo tertio: secus dicendum de suspensio à beneficio tantum, etsi nominatim denunciatus; cum talis suspensus sit tantum à perceptione fructuum; eligere autem & jus eligendi (uti & conferre, beneficia instituere, &c.) non est propriè loquendo fructus beneficii, sed actus officii & jurisdictionis, cui annexum est beneficium. Laym. de elect. q. 25. & in c. cum dilectus. n. 7. Pass. n. 94. Suar. loc. cit. n. 34. contra Navar. c. 27. n. 163. Barb. in r. cum inter. n. 4. Sigism. à Bon. n. 5. in quantum docent jus eligendi posse esse fructum beneficii: quod si verum, jam in eo casu suspensus à beneficio invalidè eligit. E contra suspensus ab officio, utpote hoc ipso non suspensus à beneficio, eligit validè. Pass. loc. cit.

4. Respondeo quartò: secus quoque dicendum de suspensio ab ordine. Saar. de cens. d. 26. §. 4. n. 5. Filiuc. tom. 1. r. 17. c. 2. n. 25. Barb. cit. c. 19. n. 58. licet enim Ordo & facultas eligendi per accidens jungantur, in quantum hic tanquam conditio requiritur ad eligendum, non tamen posse eligere est fructus ordinis. Pass. loc. cit. n. 95.

Questio 277. Num personaliter interdictus sit privatus jure & facultate eligendi, & hinc eligat invalidè?

Respondeo affirmativè, si est denunciatus. c. cum inter. h. r. Less. l. 2. c. 24. dub. 22. n. 116. Barb. loc. cit. n. 62. Azor. p. 2. l. 6. c. 14. Garc. p. 7. r. 14. n. 5. Laym. loc. ult. cit. secus est de personaliter interdicto non denunciato, applicandaque ei proportionatè quæ dicta sunt de excommunicato & suspensio tolerato. Pass. n. 99.

Questio 278. Num irregularis (intellige, ex delicto) sit privatus facultate eligendi?

Respondeo negativè, Suar. loc. cit. d. 40. §. 1. n. 27. Filiuc. r. 19. c. 3. q. 6. n. 75. Bonac. d. 7. q. 1. p. 4. n. 18. Navar. c. 27. n. 244. Pass. c. 10. n. 104. contra Tamb. tom. 1. d. 5. q. 14. Laym. l. ult. cit. n. 3. Peyr. ro. 2. de præb. q. 2. c. 5. §. 3. n. 48. cum enim eligere non sit actus Ordinis, nec per se annexum Ordini, aut ex vi illius proveniens; sed ex vi potestatis & jurisdictionis spiritualis, quæ laicis non tribuitur; nec etiam, quòd jus eligendi non competat nisi ordinatis, sit ex vi ordinis, sed ex jure positivo Ecclesiastico per accidens statuentem, ut vocem non habeant nisi in factis constituti, hinc inquam irregularitas, utpote solum impediens ab exercitio Ordinis, non verò ab executione jurisdictionis, &c. nec per se primò, nec consecutivè, seu indirectè impedit actum eligendi, adeoque irregulares per se loquendo eligere poterunt validè. Pass. loc. cit. nisi fortè obstaret statutum particulare; uti in Ordine Prædicatorum irregulares privatos esse voce activà testatur Donatus p. 2. r. 4. q. 9. n. 3. Neque obstat, c. si quis. de sent. excom. ubi, postquam dictum erat, quòd scienter celebrans in loco interdicto, incurrat irregularitatem, additur: & adeo sit ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debeat admitti, &c. Nam tò & adeo non significat & ideo, seu propter irregularitatem; sed significat augmentativè idem, quòd immo vel amplius, (quam vim habere hanc particulam, maximè præcedente copulà & videre est in Calepino, & apud Turse-